


**05
A
1321**



9

DISSE^TATIONEM PHYSICAM,

De

Sapientia Naturæ,

*Ad diem 18. Martii, DEO dante,
examini publico sistunt*

PRÆSES

M. JOHANNES Müsler /

&

RESPONDENS

GEORGIUS DAVID Ziegra /

WITTEBERGA-SAXO.

WITTEBERGÆ,

Literis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. LXXVI.



PROTOSYNEDRII ECCLESIASTICI
PRÆSIDI,
ILLUSTRISSIMO DOMINO,
DN. CAROLO, LIB. BARONI A Friesen/
DYNASTÆ IN Röthau / Rotta ET Geschwitz / &c.
SERENISS. AC POTENTISS. ELECTORIS SAXONIAE
IN SANCTIORE CONSILIO SENATORI ET CO-
MITI EMINENTISSIMO,
DOMINO MEO GRATIOSISSIMO,
Nec Non
CONSILIARIIS GRAVISSIMIS,
VIRIS
SUMME REVERENDIS, MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, CON-
SULTISSIMIS atq; EXCELLENTISSIMIS,
DN. MARTINO GEIERO, SERENISS.
ELECTORI SAX. A CONCIONIBUS AULICIS PRIMARIIS
ET CONFESSORIBUS SACRIS,
DN. CHRISTOPHORO BULÆO, ECCLESIAE
AD D. CRUCIS, QVÆ DRESDÆ EST, PASTORI ET
VICINARUM SUPERINTENDENTI,
THEOLOGIS SUMMIS;
DN. GOTTFRIEDO BERRINGERO,
ET
DN. ADAMO CHRISTOPHORO JACOBI,
FACTIS CELEBERRIMIS,
DOMINIS PATRONIS, PROMOTORIBUS
ET EVERGETIS MEIS MAGNIS,

Primitias has studiorum meorum
sacras esse volui

Respondens.



OS A 1321



Cum DEO!

§. 1.



EI sapientissimi opus Natura est. Huic ille in creatione simulacrum aliquod sapientiae suae impressit, quod etiamnum superbit. De Phidio, statuariō consummatisimō, referunt, eum artificiō vul- tum suum infixisse Minervae, ut prius dis- solvendum esset totum Divae simulacrum, quam auctoris deleri posset effigies. Ita divina Sapientia notam aliquam sui in omni natura subtilissime expressit. De qua quidem dum nonnulla chartis exiguis com- mendare paramus, ante omnia veneramur Deum supplices, ut largiatur incrementa felicia labori, qui ad ipsius gloriam unicè collineat. Etenim, inferiorem hanc mirantes sapientiam, quā facere poterimus, quā superiorem simul honoremus, & à par- vis his rivulis ad uberrimum illum fontem perveniamus?

§. 2. Prīmam verò operam in voces conferemus, ne cui anceps illarum sensus forte imponat. *Naturae* nomen variū admodum est: tot recipit formas, quod vix Proteus aut Chamæleon induit. Nos in præsens ejus titulo denotamus *causas na- turales*, *effectus* suos *naturales* *producentes*. Has enim Naturam Naturatam, (sicut Deum, à quo originem ducunt, Naturam Naturantem) quidam, boni quidem Philosophi, sed malae Latini tatis autores, nuncuparunt. *Sapientiae* nomine nunc non ve- nit Habitus ille Intellectus, qui in contemplandis principiis si- mul & conclusionibus occupatus est. Non enim Naturae gene- ratim sumtus Intellectus attribui potest, qui in solum hominem ratione gaudentem cadit. Et Habitus quoque, quamvis homi- nibus, & interdum etiam brutis (saltē per Analogiam inter-

A 2

nam

nam) convenient, à reliquis tamen agentibus naturalibus planè alieni sunt. Nec significatur excellens & distincta rerum præstantissimarum cognitio, cuius respectu antiquitas Philosophos veteres Σοφῶν vel sapientum elogio venerata est: quam verò appellationem Samius Senex, nimis arrogantem judicans, in Philosophi titulum commutavit. Cur enim Sapientia hōc etiam modō intellecta ad Naturam accommodari nequeat, eadem, quæ antea, rationes evincunt. Scilicet & ipsa Intellectum solummodō perficit, & ubiunque reperitur in rebus creatis, Habitus est. Sed indicatur Potentia ac virtus activa, naturaliter insita, per quam Natura actiones suas naturales rectè & perfectè edit. Adhiberi enim Sapientia interdum in populari usu conservavit pro rectitudine, ut ita loqui liceat, & perfectione in agendo, conjunctâ cum notitiâ causarum: quo sensu Phidiam sapientem marmorarium, & Polycletum statuarium sapientem Aristoteles appellavit, & sapiens salutatur omnis artifex, qui in arte suâ rectè & perfectè operatur, ita quidem, ut causas etiam, cur ita operetur, noscat. Quæ etsi & ipsa πρωτως intellectu præditis convenient, δευτέρως tamen, & per Analogiam, ut loquuntur Logici, Attributionis, reliquis etiam causis naturaliter agentibus non male applicatur: sicuti & Codex Sacer Brutorum Sapientiam non una vice celebrat, & Naturæ Interpretes sapientiæ vestigia in universa Natura deprehendunt.

§. 3. Nam primò tota Natura in omnibus suis actionibus, quod cum primis sapientis est, certum scopum ac finem sibi proponit. Deum & Naturam nihil frustra agere, magnus ille Stagiræ alumnus passim inculcat. Id vero consonare, animadvertis, quis à Natura petere exempla voluerit. Lapis ex alto ad terram non descendit temere, sed eō proposito, ut ad centrum omnium gravium, quod in media Terræ parte est positum, perveniat. Unde deorsum semper tendit, ut, si Terra ad centrum usque suum terebraretur, eō ferretur & ipse, nec plus ultrà, etiamsi vel maximè & altera Terræ semidiameter esset perfossa. Non cæco impetu Magnes ferrum allicit, allectumq;e leviter osculatur, sed habet metam, quod collimat. Cupit enim frui eius consuetudine, cuius cum natura multum ipsi convenit, cum simili-

similitudo qualitatum ubique amicitiam & conjunctionem parat. Cupit vires suas praestare integras, quia ferrum, Magnetum præsens, vigorem ejus nativum conservat: unde & Magnetem, ne languescat, in scube ferri deponere oportet. Par judicium esto de omnibus aliis actionibus, quotquot à Natura suscipiuntur. Fit ob certum finem generatio. Nam quando verbi causa gallina mari suo succumbit, & post ovis, quæ ex coitu peperit, studiō indefessō incubat, sibolis procreationem & generis sui, quod è vita quotidie excedentes gallinæ minuunt, conservationem respicit. Qvare &, ne excidat hoc fine, pullos exclusos educat, & à vi alienâ, quantum quidem in ipsa est, defendit: nec dimittit prius, quā sibi metipsis de necessariis prospicere per adulteriorem ætatem valeant. Ita ob finem fit auditio, visio, ambulatio, nutritio, augmentatio, & id genus alia. Evidem Naturam interdum finem non attingere, inficias ire non possumus, sunt enim in promptu exempla, quæ de rei veritate loquuntur. Occupatæ quandoque stellæ sunt in concitanda pluvia aut alia aëris intemperie, sed nequaquam id, ad quod tendunt, consequuntur, quoniam terra subjecta pluviae materia destituitur. Quā de causâ bene monuerunt veteres, Physicum & Astrologum in prædicendis tempestatibus alterò oculò cœlum, alterò terram intueri debere. Quod quia non faciunt, qui conscribunt calendaria, certè nec facere possunt, quid mirum, si tam crebro mentiantur? Sic generat nonnunquam canis, hæc fini, ut perfectum canem producat: verum, ob causas certas intervenientes, de quibus Physicorum differunt filii, monstrum biceps, triceps, aut aliò defectu tufpe mundo sicut. Hæc autem minime gentium probant, quod Naturæ propter finem non egerit. In ex ipsis illis Naturæ erroribus intentio ejus antegressa verius adstruitur. Nemo quippe aberrasse dicitur, nisi qui ad scopum jacula ante direxit.

S. 4. Deinde etiam *Natura semper media, fini consequendo valde apta, adhibet*. Insipidus quidem finem saepe experit, sed mediis convenientibus, quibus ad eum pervenire licet, non uitatur. Melius vero hæc sapit Naturæ ingenium. Redeant in exemplum sidera, cœli faces. Hæc, terram fœcundam reddere

violentia, non inconvenientem fini suo materiam, sed aquam, in
minima sua resolutam, è terris extrahunt. Qvæ postquam in
mediâ aëris regione in guttas abiit, impetu naturali terram pe-
tit, ibiq; feliciter provenire fruges facit, cùm humor ad genera-
tionem plurimum momenti conferat. Temperant verò hanc
aquam sulphureis & pingvibns atomis, qvia hortis & agris pin-
gvedo utilissima est, qvod exemplô fimi docetur. Privatum Sol,
stellarum princeps, ortum inferiorum corporum promoturus,
effluvia calida elevat, & applicat nascentibus; dum videlicet ca-
lor in omni generatione instrumenti vices sustinet. Hirundo,
structura nidum, non lapides aut spinas colligit, sed lutum &
stramina: nam lapides & spinæ ad finem, qvem sensu versat, ni-
hil faciunt. Qvis admirari h̄c satis poscit Prudentiam Anima-
torum, qvam adh̄ibent in sustentanda vita, in propulsandis periculis,
in depellendis morbis? De singulis pauca memorare libet. Plantæ
distingvunt in terra alimentum, & succum sibi convenientem su-
gunt, disconvenientem respuunt. Pars qvævis in corpore nu-
trimentum idoneum attrahit, minus idoneō relictō. Qvodvis
animalium cibum naturæ congruum, nec alium, capit. Fame
citius periret vultur, qvam attingeret triticum. Non est, qvòd
risisti, Cato, semper alioquin austere, asinum, carduō vescen-
tem: Amat enim hanc lactucam ejus stomachus, amant labra.
Ita ardea & fiber aluntur pisciculis, aquila & accipiter aviculis,
anser & gallina frumentis, dama & cervus stirpibus parvulis.
Nec in assumendo tantum, sed & in parando vietu similis Ani-
mantium solertia deprehenditur. Prodeant in medium formi-
cæ, ad qvarum providam curam considerandam ablegat nos
Spiritus Sanctus per Salomonem, Proverbiorum VI. 6. Vade, in-
qviens, ô stulte, ad formicam, & examina vias ejus, & disce Sa-
pientiam. Digna res memoratu! Sapientiæ Doctores dat Deus
bruta animantia. Pater majores natu filios exemplô minorum
castigat, cùm infirmioris virtus fortius provocet. Sapientia au-
tem ista formicarum in his potissimum consistit actibus: Fru-
mentantes in æstate, provident cibum, qvō vivant in hyeme,
qvando parare alium non possunt. Meliora grana in agris felici-
gunt. Deferunt frumenta in sua horrea, ibique recondunt &
ad-

adservant. Capitula granorum, qvà virtus germinalis erumpere solet, arrodunt, ne germinandò nullum sui usum præbeant. Tempore sereno grana exponunt & exsiccant; imminente pluviâ in antra referunt. Didicerunt inde homines, nunquam seqvi pluvias, qvando formicæ exponunt sua grana. Videamus & alia. Vulpes, ut potiatur pisibus, qvos in delitiis habet, caudam immergit in aquam, qvam postmodum, ubi villis ipsius involuti sunt pisces, reperente attrahit. Eadem, cùm esurit, & videt prætervolantes aves, mortuam se fingit, & sic ad sese aves allicit, ut descendant tanquam ad cadayer, qvas verò tunc arripit & enecat. Hyæna humana vocem imitatur, & canes pastoresq; nominatim ad se vocat, ut seorsim positos devoret. Crocodilus eundem ob finem lacrymas humanas repræsentat. Cancer fluviatilis, dum ostreis insidiat, atqve ex iis escam venatur, lapillos patulæ hiantiq; testæ ingredit, ita ut occludi nequeat: mox dentato forcipe pisculentam carnem abradit atqve elicit, illoq; alimento ssvaviter ac securè nulloq; vindictæ metu fruitur. Id ipsum & Polypus piscis factitare dicitur. Ast aliâ ratione Ardea avis, qvoniam clausum ostreum aprire neqvit, deglutit integrum, intusq; retentum tam diu agitat, donec calore apertum sentiat; tum enim hians iterum reddit, &, qvod esui est, extrahit. Aqvila ut vesci testudine qveat, eam in altum elevat, & in lapidem dejicit, qvò allisa frangatur. Qvō qvidem casu Æschylum, Poëtam Tragicum periisse constat, cùm aqvila, elusa splendore capit, capillis vacui, lapidem esse rata, testudinem in ipsum demitteret.

§. 5. Venio ad periculorum propulsationem. De Leone referunt historiæ Naturalis conditores, qvòd, iter faciens, varium & multiplex vestigium imprimat, modò progrediendo, modò regrediendo, modò ad latus flectendo; qvodq; viam partim præcidat, partim oblitteret: ne venatores lustrum, ubi cum catulis habitat, reperire possint; sed variis & cœcis vestigiis fallantur. Mustela loca mutat subinde, ut, cubile ejus reperire, difficile sit. Vulpes cavernas, qvæ multos habent exitus, procul inter se distantes, incolit, ne, circa exitum unum positis venatorum insidiis, comprehendatur. Grues, ne circumveniantur ab hostibus, in stationibus suis excubias agere pro toto agmine, diuisâ per vices noctis vigiliâ di-

cun-



cuntur; stantes altero pede, altero lapidem tenentes, ut, somno
forte obrepente, per lapidem dilabentem excitentur. Easdem,
qvando ex Cilicia devolent, & jam appropinquent ad montem
Taurum, ubi sunt plurimæ aquilæ, cum qvibus naturale odium
exercant, in ora recipere lapillos, & ita sibi meti ipsis imperare silen-
tium, ne sentiantur, aliqui scribunt. Id qvod & nonnulli de anse-
ribus feris vel sylvestribus memoriae produnt: qui alias etiam, &
qvè ut grues, cum volandi duces, cum somni custodes habere fe-
runtur. Pulli gallinacei, cum magna boum & eqvorum propè ad-
stantium corpora non timeant, milvo è longinquo conspecto, aut
fugâ ad matrem sibi consulunt, aut graminibus, herbis & frutici-
bus teguntur. Serpentes, cum noverint, se esse exosos hominibus,
conspectis iis sapienter de via declinant, abdunt se, & cavernas
suas repetunt. Si verò elabi nequeant, & ad certamen deventum
sit, in gyros volvuntur, & caput dil genter defendunt. Hoc enim
periclitante, periclitatur tota ipsorum vita: reliquæ verò partes
erosæ aut vulneratae lambendo restituuntur. Unde monitum Ser-
vatoris ad discipulos suos: Estote prudentes, sicut serpentes, Matth.
X, 16. Praeclarè etiam qvodvis animal tenet, qvibus armis vim ab
alio illatam arcere debeat. Bos cornibus se tuetur, qvia in his ma-
xima ipsius vis consistit. At mutato rerum statu Bonasus, cornua
pugnæ inutilia, utpote multiplici in se flexu recurrentia, gestans,
præsidium, qvod frons negavit, in alvo qværit. Inde, cum fugâ sibi
consultit, proluvie citi ventris fumum egerit per longitudinem tri-
um jugerum, cuius ardens contactus in sequentes, ignis instar, exu-
rit. Pari pacto vulpes, nullò aliò præsidio instructa, cum à canibus
urgetur, in cauda villosa urinam, qvæ supra modum est foetida,
collectam in canes sequentes spargit, ut aliquantum recedere
cogantur. Leo ungibus, equus ungula, canis ore, dente aperi inju-
rias externas propellunt. Xiphia piscis eâ parte, unde nomen tra-
xit, (pinna scilicet sive rostro) tanquam gladiò utitur. Pastinaca
aculeo se defendit. Muræna dentibus eò commodius se tuetur,
qvòd eorum prædita est dupli ordine. Erinaceus, pelle aculeata
vestitus, de fuga cum desperat, in globum se volvit, ut apprehendi
non queat. Rubeta infestata virus emittit è clunibus, & verberan-
tem interficere conatur.

§. 6. De

§. 6. De morborum depulsione ut pauca adhuc edisseram,
restat. Ibis, Ægypto adsveta avis, qvoties obstructionem alvi pati-
tur, qvod ipsi s̄epius contingit, rostro suo adunco, qvō gaudet,
aqvam ingerit per podicem in intestina, ut hæc reddat lubrica, &
excernendis excrementis apta. Fama est, hinc Clysteris usum pri-
mū promanâsse. Hippopotamus, ne ex nimiâ repletione in
morbum incidat, exit ad littus, recentes arundinum scissuras spe-
culatus, atqve ubi acutissimam videt stirpem, imprimens corpus,
venam qvandam in cruce vulnerat, & ita profluvio sanguinis mor-
bidum aliâs corpus exonerat, & plagam limo rursus obducit, Pli-
nio referente. Phlebotomiæ instar hîc deprehendis. Vis plura Chi-
rurgices exempla adducam? Elephantes tela sibi infixa, absqve
nervorum convulsione aut contractione, eximunt, & Aloës la-
crys, sicubi earum copia datur, instillatis vulnera sanant. Cervi
& Capræ sylvestres in Creta, sagittis transfixæ, Dictamnum qvæ-
runt, & hujus herbæ pastu eas excutiunt. Poteris & Pharmacev-
tricen à brutis discere. Palumbes, Graculi & Merulæ superfluos
humores expurgant, lauri degustatis foliis; columbæ & turturæ
helxine. Canes & feles, ut dejiciant ventrem, qvoties nimiâ collu-
vie oppleta sentiunt viscera, gramina rore perfusa comedunt. Diæ-
ticen Lupi & Leones docti sunt, sæpè per dies aliquot à carnibus
datâ operâ se abstinentes. Frustrâ igitur es, Apollo, qvōd Medicî-
nâ tanquam inventô tuô tam ambitiosè, interprete Nasone, te ja-
ctas. Bruta animantia aut totam hanc laudem aut certè partem
eius sibi vendicant.

§. 7. Non autem tantum media justa adhibere solet Natura
ra, sed & modum agendi exqvistire callet. Ita novit Anima human-
in utero, qvō pactō formare corpus hominis, & ex qvibus seminis
particulis qvæ organa fabricare debeat. Tenet omne avium gé-
nus, qvomodo nidos suos exstruere debeat. Intueamur saltæ cí-
conias. Illæ siqvidem primò rotunda figunt pomœria, pòst ædifi-
cium construunt, constructum stabilire tentant. Si qvid distor-
tius hæret, id rostris in ordinem sollicitè redigunt. Hirundines, ni-
dum apparantes, cum festucis seu culmis stramentorum conjun-
gunt lutum, & qvidem ita implicant, sicut faciunt, qvi parietes
formant ex luto. Festucis autem solidioribus primùm locô funda-

B

menti



menti jactis, moliores superaddunt. Si luti est penuria, aquas summis alis stringunt, posteaq; se involvunt pulveri tenuissimo, & hoc pacto usum lutti sibi comparant. Prætereà figuram operi suo non angularem induunt, vel plenam anfractibus, sed globosam & æquabilem, qvia hæc est firmior & capacior, & fortius resistit violentiæ insidianium. Ita & cum aliis comparatum est. Fœtus aranearum, yix bene ovis exclusi, fila deducere, & formare texturam, nulli mortalium imitabilem, valent. Nascitur hæc ars, non discitur. Nos rudes sine longa disciplina sumus: at bruta animantia sapiunt etiam sine Magistro, ac erudita sunt, licet rectè facere non didicerint. Pulli anatum anserumq; ve, qvi nec aquam viderunt unquam, cùm importantur aquæ, natare tenent. Avium genus volatum molitur, etiamsi ob membra tenella & levia pennarum rudimenta volare nondum queat. Apes societatem vel Politiam, sine præceptis Politices, constituunt. Luscinia, quamvis nullo canendi Doctore usa sit, à salice tamen sua perfectæ, ut Plinius inquit, Musicæ scientiæ modulatum sonum edit. Nunc enim continuo spiritu trahitur in longum æquabiliter, sine mutatione; nunc autem quiescit; nunc inflatitur, jam minutius & concisiùs canit; nunc intorqvet & quasi crispat vocem; nunc extendit, jam revocat; alias longos concinit versus, alias breves, interdum brevissimos. Eqvidem quod Lusciniae quasi Musicæ scholas & ludos habeant, in quibus discipulæ versus, quos reddant postmodum, accipiunt, audiantq; magistras intentione magnâ, & vicibus reticeant, docentes etiam errores commissos corrigant & reprehendant, aliqui & in his memoratus antè Plinius, ille Naturæ Bibliothecarius, autores sunt. Sed ego id omne, si quid hic observatum, ad contentionem, quam aviculæ illæ de canto conservaverunt habere, potius retulerim. Adde & hoc, quod animalia etiam distinctè, pro distincto fine, agere sciant. Gallina enim, cùm pullos vocat, crocit; cùm eosdem ad fugam ob milvum hortatur, extendit vocem in longum & extollit; cùm capit, clamans anxie, repetitq; quasi singultiens; cùm ovum parit, exultat; cùm pullos dedit, aliâ voce asperiore, crassiore atque rariore utitur, quam cùm illos ad se vocat. Anseres aliâ voce anseres alios accedentes, aliâ discedentes.

dentes, aliâ peregrinos, aliâ familiares excipiunt. Pertinet huc
qvoqve, qvod Lucretius cecinit :

*Accipitres atq; ossifrage, mergiq; marini
Longè alias alio faciunt intempore voces.*

§. 8. Tum qvoqve optimè & pulcherrimè Natura operatur. Commendat opus Artificem. Adeamus modò corpus hominis, & videamus, qvām affabré illud ab anima rationali formatum sit. Qvis miretur sat̄ ossum, cartilaginum, ligamentorum, nervorum, venarum, viscerum structuras, sensum item officinas, & similia? Omnia tām aptē & rotundē fabricata sunt, ut non sit, qvod adjicias, aut qvod subducas. Tulliani sermonis gloria fuit, nihil ei addi posse; Demosthenici, nihil adimi. Fallor? an utrumqve de corpore humano dici potest? Intelligebat id olim Galenus, Medicorum Princeps. Hic enim, ut Epicuri errorem convinceret, dicebat, se illi daturum centum annos, ut situm, figuram, aut structuram alicujus partis mutaret, neqve dubitare se, futurum tandem, ut fateri cogatur, non alio nec perfectiori modō id fieri potuisse. Ab homine ad bruta, à brutis ad plantas, à plantis ad metalla si facimus gressum, ubiqve summam deprehendimus pulcitudinem. Aliqua saltem documenta adferam; nec enim omnia persequi nunc licet. Qvām decorè Natura, mater illa provida, alia brutorum animalium donat pennis, alia expedit squamis, alia lana & velleribus induit, alia pilis protegit, alia testis munit, crustis armat, conchis vallat? Omnes præterea illorum artus pro cuiusvis indole & mole convenientissimè fabricat. Unde non in magnis tantūm animalibus, sed & in minimis majestas qvædam elucet. Turrigeros Elephantorum miramur humeros, taurorum colla, leonum jubar: sed vel culex habet, qvibus mentis nostræ aciem in se convertat. Qvā subtilitate pennæ, crura, telum, & tot membra alia in tam parvo hoc atque tam nullo corpore formata sunt? Ubi tot collocati sensus? ubi visus inditus? ubi gustus applicatus? ubi odoratus insertus? præcipue verò ubi truculenta illa & proportione maxima vox ingenerata? Qvām pulcrè etiam producuntur à Natura gramina, flores & folia? sub verno cum-

primis aëre, qvando pictor ille mundi (ut vates quidam Hispanus Majum appellavit,) campos & sylvas vestit? unde Salvator mundi: cognoscite, ait, Lilia agri, quomodo crescant: dico vobis, nec Salomonem quidem in universa sua gloria sic amictum fuisse, ut unum ex his. Ita & auctumnali tempestate quem non poma, pira, mespila, & alia fructuum genera infinita, coloribus, odoribus, saporibus cæterisq; dotibus egregiis adficiunt & alliciunt? Jam si gemmarum, auri & aliorum Metallorum decorem prædicare vellem, Herculem, quod dicunt in Proverbio, Spartæ laudarem. Neminem enim dissentientem facile habiturus essem. In Gemmis sanè coacta in arctum Naturæ Majestas est. Minima hæc corpora maximâ materiæ puritate, summâ colorum savitatem, incredibili virtutum efficaciâ, gaudiô nos lassant assiduô. Quem non Adamas, quem non Smaragdus, quem non Jaspis, velut sidera terreni orbis, oblectant? Sed, missis his, alias etiam Naturæ operationes contemplemur. Qvâm artificiosè Aranea texturam suam format? qvâm concinnè filia disponit? Alia in rectum immissa fundamenti loco, alia in orbem currentia explicat, atque in centro, ceu specula quadam, minora animalia, in quorum perni ciem illa tenduntur, retibus veluti sese implicatura observat. Qvâm affabré apes, sine arte, sine regula, sine circino, Geometrârum instar, cellas suas in figura sexangula & sex laterum æquali sumq; angulorum ædificant? Reliqua hujus animalis nunc non attingo. Quantum enim in eo, ut & in Bombyce, ostenderit Natura artificii, impossibile est verbis exprimere.

§. 9. Postò etiam *Natura*, sibi quidem relictâ, uno semper & eodem modô agit; ex quo iterum ejus sapientia tese manifestat. Ab insipido quod fit, confusum est, & vago motu huc atque illuc ruit. Uno eodemq; semper modô stellæ cœlum decurrunt, motusq; suos absolvunt. Nec enim est, quod ad Intelligentias hic quis tecurrit: quas jampridem ex officio hoc movendi faces cœli saniores Philosophi dimiserunt. Et aliis longè fungi muneribus Beatos Angelos, pagina sacra nobis demonstrat. Sic & perpetuò uno eodemq; modô pluviae nivesq; decidunt, ac cætera Meteora signuntur: uno eodemq; modô Magnes trahit ferrum, gravia de-

descendunt, levia adscendunt. Unde eodemq; modō seges aristas producit, vitis uvas, lapis lapidem. Anima Pomi quotannis poma eodem efformat modō, iisdem coloribus, odoribus & saporibus exornata, & certā figurā certāq; quantitate determinata. Idem valeat de Anima Piri, Mespili, Cerasi, & cujusvis arboris. Sic & cum foliis, corticibus & aliis comparatum. Quæ folia fundit Pomus, ea non fundit Citrus, & quæ Citrus, ea non fundit Cerasus. Et quæ figurā prodeunt folia Pomi hoc anno, eādem prodeunt sequentibus annis. Hoc ipsum & in Brutis experimur. Verbi gratiā cum Gallinis aut aliis avibus pennæ sive excidunt, sive evelluntur, Natura novas in earum locum format prioribus plerumque exactissimè respondentes. Nigra antè fuit gallina, duabus tantum, aut tribus albis pennis intermixta? Eundem planè colorem resarcens Natura reddet. Adhac ipsa etiam Animalia statā figurā, structurā & quantitate à Natura impertiuntur. Cum reliqua animantia prona terram spectent, homo, os sublime gerens, cœlum tueretur, & ad sidera vultum erigit. Sic aliam figuram Leo, aliam bos, aliam asinus, aliam canis habent. Si decem hominum millia attentè intuearis, omnia eorum corpora pari ratione constructa reperies; eundem contextum, figuram, numerum, situm omnium partium dextra sinistris simillima, totumq; corpus eodem ferè circino *ιερόποστον* invenies. Idem de aliis etiam judicā animalibus. Ita quoque, quod ad quantitatē spectat, non ex crescere musca ad quantitatē anseris, nec anser molem & magnitudinem asini attingit, nec asinus vastitatem Elephanti adseqvitur. Rursus etiam elephas non decrescit ad staturam asini, aut asinus minuitur ad exiguitatem anseris, aut anser ad muscas corpusculum contrahitur. Evidem non ad punctum alligata hæc quantitas corporum est, sed latitudine suā & varietate insigni gaudet. Differt magnitudine sicut equus ab equo, bos à bove, ita homo ab homine. Tam laxa tamen non est, ut terminos nullos agnoscat. Unde nunquam in eorum sententiam pedibus ire potui, qui Gigantes & Pumiliones in Naturæ erroribus non habent, cum illi utique à com-

muni hominum quantitate , qvæ trium circiter ulnarum est,
maximum in modum recedant.


§. 10. Tandem & *Natura constantissimè agit*. atqve vel
hoc ipso etiam sapientiam suam prodit ; sicuti contrà , qvibо-
num opus cœptum non constanter persegitur , sed ab eo , tæ-
dio & lassitudine adfectus , recedit , insipidus habetur . Nun-
qvam pulcherrimi cœli ignes à motu suo deflunt : nunqвam
ignis urere , nunqвam aqua frigescere desinit . Verbo dicam :
Qyō vigore Natura ab initio egit , eō & adhuc hodiè , à supe-
riori non impedita , agit , imò aget usque ad seculi consumma-
tionem . Fumum igitur vendunt , qvi vires Naturæ pedeten-
tim deficere , & in pejus ruere qvotidiè , usqye tum planè ces-
sent tandem , imperito populo persuadere conantur . Sive-
ra hæc sunt , ait B. Sperlingius , in Synopsi Phys. p. 28. mundi
interitus non supernaturalis ac miraculosus , sed naturalis ex-
pectandus . In specie , descendisse Cœlum , figmentum est , jam-
dudum à naturæ scrutatoribus explosum . Elementorum vires
qvi trahit in dubium , ignem accedat , & plus satis incalescet .
Eclipses esse horridiores & freqventiores , monstrum in Mathe-
si est . Plantis vires loca adimunt & tempora anni , absqve mun-
di senio . Homines hodiè deteriores vetustioribus , non ob na-
turæ defectum , sic enim nulli forent : sed ob morum deprava-
tionem . Mutata non est natura , sed hominum vita . Præclarè
sanè . Finge enim , sponte suâ ad interitum cuncta vergere , præ-
dicî tandem per regulam proportionis , ex præteritorum nem-
pe & præsentium temporum collatione poterit tempus & an-
nus interitus mundi , qvod tamen est contra effatum Christi ,
Marc. XIII, 32. Unde & semper , qvi certi qvid prædicere tentâ-
runt de tempore consummationis mundi , mendaces reperti
sunt . Ut non dicam , ipsam DEI potentiam defecturam , si Na-
turæ deficiant vires : DEUS enim naturam potenter sustentat
& conservat . Finge , cœlum & Solem per aliquot milliarium
myriades ad terram declinâsse , ut Philippus , Origanus & alii
qvidam ponunt , admittenda erit penetratio dimensionum ,
cùm

cùm extrema cœli substantia transisset in medium , media in
ultimam , & ultima in substantiam ipsius Aëris ; nullibi enim
locum vacuum invenisset , in qvem descenderet . Illam ve-
rò penetrationem jam pridem saniores Philosophi ex Physicæ
pomœriis proscripterunt . Admittendum præterea vacuum ,
cùm nihil supra Cœlum aut Aqvas potius supracœlestes fuis-
set , qvod in locum illorum Corporum declinantium descen-
disset . Vacuum autem in Natura nemo , qvi rectè rem ex-
pendit , concedere potest . Imò si cœlum proprius terræ factum
est , breviores essent nostri dies & anni , qvàm prisci fuerunt ,
qvia Sol nunc non tantum circulum describeret , qvàm olim
descripsit . Porro si Elementa affici & affligi statuis , Corporibus
simplicibus , contra omnem rationem , corruptionem & muta-
tionem ab intra , uti loquuntur Philosophi , tribuis . Et si dubi-
tas de ignis calore , aquæ frigore , svaliderem Tibi , ut nudus
consideas in flamma , aut in Albi , tempore hyberno : sic
enim sententiam mox mutabis . Qvod etiam speciatim ad
terram spectat , sit ea certè in locis nonnullis interdum steri-
lis & effœta , verùm non ob naturæ , sed culturæ defectum .
Mater enim cùm sit , coli diligenter vult à filiis , ne in nover-
cam degeneret . Qyanqvan interdum etiam aliquid male-
dictioni divinæ hîc tribuendum sit , qvi , ob hominum pver-
sitatem , locis nonnullis fœcunditatem adimit , prout statim
post primorum Parentum lapsum universæ terræ fecit . Ec-
lipses ideo olim eodem modō , ut hodiè , contigerunt ; qvia
causæ earum eodem modō , ut hodiè , sese habuerunt . Si ve-
rò non semper fuerunt annotatæ aut in diaria relatae , nihil
hoc nostræ assertioni officit . Major vel minor efficacia plan-
tæ ex loci , ubi procrescit , qualitate multùm dependet . Nam
qvæ in calidioribus locis nascuntur plantæ , majorem habent
vim , qvàm qvæ in frigidioribus natæ sunt locis . Hinc in Ori-
entalibus Arabiæ & Græciæ partibus , ubi antiqui Medicinam
fecerunt , herbatum vires semper enituerunt . Plus etiam pol-
lent , qvæ justo anni tempore lecta sunt : ut Pœoniae radix

lecta



lecta' in plenilunio magis valet, qvam in novilunio effossa.
Patres ante diluvium s̄ep̄e usq; ad millesimum fermē ætatis
annum vixerunt, cūm nostri Senes vix benē octogesimum an-
num attingant. Sed tum contenti erant victu simplicissimo,
& omni luxu abstinebant: non ita de fortunæ bonis erant
solliciti, non ita in Venerem proni, non ita iræ dediti. At ho-
diè gula vitam decurtat Germanis, Venus Gallis, avaritia & in-
solentia Hispanis, ira & vindicta Italos. Causis naturalibus
alias junge supernaturales. Piam & probam vitam ducebant
veteres, qvæ promissionem habet hujus & futuri seculi; inde
perennabant diutius: at nos agimus vitam impiam, inde sæ-
p̄e dimidium annorum nostrorum non attingimus. Taceo,
qvōd à priscis artes, qvōd dogmata divina oretenus ad poste-
ros erant propaganda: in qvam rem longioris yitæ usuram
DEUS iis indulgebat. Sed verò satis longa spatia in hoc
mari confecimus, portus tandem aliquando respiciendus est.
Nam omnia, qvæ ad præsentem materiam spectant, nostræ pa-
gellæ non capiunt. Et qvamvis etiam multa scriberentur, mul-
ta tamen adhuc restarent. Finimus ergò h̄ic, & DEO, pro-
concessis in hoc labore viribus, gratias de-
bitas persolvimus.




05 A 1321



1077

Farbkarte #13



9

DISSTATIONEM PHYSICAM,
Dc
Sapientia Naturæ,
*Ad diem 18. Martii, DEO dante,
examini publico sistunt
PRÆSES
M. JOHANNES Müller /*
*RESPONDENS
GEORGIUS DAVID Ziegra /
WITTEBERGA-SAXO.
WITTEBERGÆ,
Literis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.
ANNO M. DC. LXXVI.*